

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1658

1879

C O D I C E S

1880

laborem resumtum ad finem perduxit.

V. fol. 205. p. 2. Homiletica quaedam de *Purgatorio*, *Poenitentia*, *Honestate Mulierum ad Clericos*, et Festo Dedicationis Ecclesiae, levis momenti.

VI. fol. 214. Sermones, ut in calce. fratribus Ludwici Heremiti ni ordinis. Sec. XV. manu scripti, et quidem, ut ibi additur: *Michaelis de manlebarn*, hodie *Mal-lebarn Pago Inferioris Austriae*. Duplex horum Sermonum, seu Σχηματων potius, est Series. Ut-raqe orditur ab Adventu, et prior quidem: *Hora est iam nos de sompno. in hijs verbis monet nos fidelis futuri videlicet Paulus &c.*

Altera fol. 238. *Benedictus qui venit in nomine domini. Matth. fratres karissimi istud ewangelium hodie legitur et in ramis palmarum &c.* Utraque partim in Evangelia, partim in Epistolas Dominicar. et Festorum Domini commentatur. Excitat unicum hunc codicem nostrum Ossingerus in *Biol. Augustiniana* p. 521. ubi discimus F. Johannem Ludovici Heripolit. post varia in Ordine gesta munia decessisse a. 1480. Hieropolitanum Episcopum et Subfraganeum Ratisbonensem.

VII. fol. 256. sequitur *Martyrologium* incipiens a *Circumcisione Domini*, et definens in *Silvestro Pont. et Gerdude Belgica*, quibus accedit Notio *Transfigurationis* etiam germanice expositae: *ein Wandlung der gestalt daz sich ein dinch verbandelt in ein schöner gestalt, et Quatuor Tempor-*

rum. Maxime prolixus est Scriptor in vita S. Oswaldi Regis Scotiae, & S. Colomanni Mart. de quo refert, Custodem Thesauri Ecclesiae Medlicensis cum pretiosa supellefili per fenestram se demittere volentem adhaesisse, capiteque in formam caninam mutato latratus edidisse; quibus excitatus Conventus furem deprehendit. In universum stupenda et fabulosa sectatur.

VIII. fol. 275. p. 2. Remedium contra Pestem germanice: *Dysex erczney ward gesant dem chilnikch von Frankchreich von den ürczten von paryz &c. Qualia jam alias retuli.*

DCCLXXXIV.

Codex membraneus lat. Sec. U. 571 XIV. Folior. 452. 8. per duas columnas minutius sed nitide exaratus, coloribus distinctus, et olim, ut in calce notatum est, Collegio Magistrorum Ducali donatus ab Johanne de Gmunden, celebri Astronomo nostro a. 1442. defuncto, inscribitur: *Hic incipit opus fratris gilberti ordinis fratrum Minorum in sacra theologia magistri ad diuersos status mundi. Prooemii initium est: Executis inspirante donino sex partibus &c. ut Vol. I. P. 3. col. 2772. ubi aliud Exemplar indicavi, et necessaria de Gilberto Tornacensi adtuli. Praesens a fol. 155. ad fol. 209. manu Sec. XV. subpletum est. Ad calcem minio subditur: Explicant sermones de diuersis statutibus (sic) hominum. Laus tibi*

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1658

1881

H O M I L E T I C I .

1882

*tibi sit christe quoniam liber expli-
cit iste. Adiectus Index ὀικονομίας
Sermonum exhibet.*

II. fol. 305. sequitur, ut jam in fronte Codicis post *Gilbertum* adnotatur: *opus iohannis Gallensis quod appellatur summa collectionum seu breuiloquium.* Observavi jam ad alterum Exemplar, quod hoc Vol. inter Codices *Dogmaticos* occurrit, varios hujus Operis ferrari Titulos, quos Amanuensium liberalitati, ut videtur, debemus. Sed nos ipsum Autorem audiamus, qui ita orditur: *Cum collectionis buius que potest dici summa collectionum &c.* In Exemplo cit. additur: *sive communelocutum*, quod hic deest, et fortassis etiam tantum irrepit. Ceterum *Breviloquium* in Titulo nostro manifestus est Librarii error; ita enim aliud *Wallensis Opusculum* inscribitur, ut testantur Literatores ad Codicem cit. a me adducti, quem, si lubet, adi. In praesenti adiectus est praecipuarum materiarum Elenchus.

DCCLXXXV.

R. 3100 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 216. 4. per duas columnas non una manu, et parte quidem priore melius exaratus, rubricis distinctus, et olim *Monasterij Sande Dorothee in Wienna* aliud est *Gilberti Tornacensis* Exemplar ejusdem cum superiore rationis, nisi quod ad calcem primum *Tabulam Distinctionum* seu Rerum praecipuarum ordine alphabeticō habet, dein *Rubricas*,

five Titulos CCXL. Sermonum cum singulorum Initiis.

DCCLXXXVI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. u. 201 ineuntis Folior. 305. 4. a fol. 192. alterius manus rubricis e-notatus, continet *Simonis de Cremona O. Erem. S. Aug. Oratoris Sec. XIV. per celebris Sermones super Epistolis omnium Dominicarum*, five *Postillarum Partem II.* Prior enim est *super Evangelii.* Pars utraque mihi objacet impressa simul *Reutlingae 1484. f.* Utramque inscripsit Autor Fratri suo germano *Antonio*, et nostram quidem ita: *Frater symon de cremona ordinis fratrum Heremitarum sancti augustini viro magne honestatis, maioris caritatis (castitatis?) maxime castitatis (caritatis?) p. antonio eiusdem ciuitatis salutem et osculum pacis.* Et mox: *licet enim vester sim germanus &c.* *Sermonibus LII. a Dom. I. Adv. usque ad Dom. XXIV. post. Pentec. constat Opus, et sequente gaudet clausula: Explicit opus pre-
dicabile ad populum super episto-
las dominicales compilatum per fra-
trem symonem de Cremona ordi-
nis fratrum heremitarum Sancti
Augustini Scriptum pro parte (po-
steriore) per me fratrem Nyco-
laum Muczbas ordinis fratrum
predicotorum Anno Domini M.
CCCCII. et finitum in die sandi
alexij confessoris. Sequitur Index.
De Simone, ceterisque ejus Scri-
ptis adi, si lubet, *Offingeri Bi-
bliothecam Augustin.* p. 275.*